Viro Illustri & Summe Reverendo

D. Io. Frid. Mayero

S. P. D.

Gotofredus Olearius D.

Humanitati tuae summae gratias agendi, insimulque restituendi
thesauri, cuius usum tempore satis longo mihi concessisti, hucusque occa-
sio defuit. Utinam vero, Vir Illustris, iam demum, opportune ad vos
iter meditante Cl. Schurzmanno, ita ut animus est officio satisfacere
possem. Hoc tibi penitus persuasum velim, immortalem beneficii acce-
pti memoriam apud me esse futuram. Quamvis enim illos usus, quos
propensissima tua in bonas literas voluntas intendebat, mihi praestare
non potuerint illae membranae, quae diversi plane argumenti continent
tractationem: et argumenti tamen illius iucunditas, & ipsa prolixissimas

25 4V
259

tua voluntas, quam humanissima communicatione testatam
dedisti sufficiunt, ut nihil minus in aere tuo esse me lubenter
profitear, Ex quo obligationis nexu ut me exsolvere non possum,
ita ne velim quidem; qui omni vita hoc prae me ferre cum
maxime cupiam, esse me ex iis quos virtus & eruditio tua
devinctissimos tenet. Vale Vir Illustris & Summe Re-
verende, mihique aliquem inter tuos locum relinque. Scrib.

Lipsiae d. 11. April. A. cIↄIↄCCX.

Viro Illustri & Summe reverendo

D. IOANN. FRID. MAYERO

Academiae Gryphiswaldensis Can-
cellario & rel.

Theologo consummatissimo

GRYPHISWALDAM.

255 v